

ratione principii, sed solum analogicè; ergo non possunt vnica definitione definiri: antecedens est verum ex dictis, consequentia sequitur, etenim non alia ratione equus & homo vnica definitione definiri non possunt, nisi quia diuersam essentiam habent, & excludunt a se vniocationem; cum ergo huiusmodi sint principia corporis naturalis; habent namque diuersam rationem formalem; ergo non vna, & formali definitione possunt definiri.

Respondeo primò, negò antecedens; principia enim, tam componentia quam non componentia, tam influentia, quam non, in ratione principij vt sic conueniunt, dummodo talis ratio principij abstrahat a tali, & tali modo principiandi, quia & si in tali, vel tali ratione principiandi, quia & si in tali, vel tali ratione principiandi differant, nō differunt in ratione principij vt sic; immò retorqueo argumentum contra aduersarios, vnico verbo; materia, & forma Aristotelica cum eius priuatione nō sunt vniuoca; ergo vnica eiusdem Aristotelis definitione definiri non possunt vt principia physici misti. respondeant sectatores Aristotelis, & ego loquor ad cor eorum.

Respondeo 2. & dico quod per aduersarios principia intrinseca vnica definitione definiuntur, quia in tali ratione vniocè conueniunt, quod non minus dicendum est de principijs vt sic, cum sit eadem ratio, vt supra dixi in hac sectione n. 8. & 9. principia namque intrinseca præscindendo a tali ratione cōmuni, neque vniuoca sunt, neq; analogica, sed æquiocationem admittent; quādo alia positiuè principiēt, alia priuatiuè, alia vt perfectibilia, alia vt perfectibilia; vnde fit, quod si aduersarij in suis principijs vniocationē admittunt, nō debēt talē perfectionē in mistis negare; maxime quia, vt dico in logica cum de termino vniuoco, ad æquiocationem non requiritur similitudo omnimoda, aliter, vt ibi dixi, ferè, immo dico numquam daretur vniuocatio,

14 Rogas quomodo principia propria cuiuscumque rei naturalis definienda sint? Respondeo, quod sequenti definitione, & nō alia sūt definienda, videlicet principia propria cuiuslibet rei illa sunt, vnde res naturales sunt, fiunt, aut cognoscuntur, vel sunt illa a quibus res naturales aliquo pacto dependent, quæ definitiones probantur ex dictis supra in hac sectione, n. 9. & 10.

15 Ex quibus conitat, quod Aristoteles hic libro 1. cap. pr. 3. Summæ. text. 42. definiendo principia prima pro eo, quod sint &c. ait [principia sunt, quæ neque ex se inuicè sunt, neque